



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio XV. Argumentum. Reseruntur pœnæ constitutæ contra usurpantes bona Ecclesiastica; & modi omnes, quibus dicta usurpatio fiat. An liceat Parochis cædere arbores fructiferas suorum beneficiorum, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

dixerunt; esse difficilimum juxta *Lessum lib. 3. de Just. & Jur. cap. 23.* Nam ebrietas est venenum illud insanabile, de quo scriptum est *Deut. 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Nihilominus profutura hæc remedia.

1. Legendum sermonem S. Augustini de ebrietate, qui est 231. de Temp. ex quo Parochi colligent plurimum contra tabernarum frequentatores.
2. Moneantur Parochiani, ut fugiant societatem compotantium.
3. Doceantur, tam grave malum esse ebrietatem, ut transmittatur in descendentes, quia hepatis adusti vitium transfunditur in filios, ac filias, & ex eis in nepotes; sicque pater siticulosus, & bibax filios gignit siticulosos, & bibaces.
4. Certiorentur, nimium Vini potum remollescere homines ad laborem ferendum, eosque examinari.
5. Explicentur mala ex ebrietate resultantia (quæ pariter ex ludis proveniunt) nempe blasphemiarum, rixarum, contumeliarum, bonorum decoctiones, ac frequentem homicidia.
6. Narrentur exempla Romanorum, & aliarum gentium, quæ bibitoriarum tabernas funditus everferunt, & stirpitibus proscripserunt, distantes, eas esse omnis nequitiae lustra, ut refert *Alex. ab Alex. lib. 4. Genial. dier. c. 3.*
7. Terreant consuetudinarios ebriosos, negando iisdem Sacramentalem absolutionem, cujus capaces non sunt, nisi abstineant à tabernis, quæ sunt illis occasiones proximæ peccandi.
8. Agendum apud Superiores, ut accessus ad cauponas prohibeant uxoris, ut olim erat in usu, teste *Gregor. Tolosan. Syn. agm. Jur. part. 3. lib. 39. cap. 7.* ne patres familias uno symbolo consument soli, quod omnibus domesticis in hebdomadam sufficeret.
9. Monitos faciant Compotatores, quod si fuerint auctores bibendi iis, qui ære alieno pressi sunt inhabiles ad solvenda debita, vel ad aliendam familiam, remanent ipsi obligati ad restitutionem. *S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 6. cap. Si culpa De Injur. & damn. dat.*
10. Suggestant iisdem considerationem vicinæ mortis, brevitatem deletionis, æternitatem poenarum inferni.
11. Tandem his heluonibus Confessarius imponat salutares Pœnitentias jejuniorum, temperantiam victus, & alias, quas notat *Reginald. lib. 7. à num. 60. & seqq. Fornerius de Temulentia malo à cap. 15. ad 24. & P. Geor. Gobat. in suo Quinario Tract. 5. p. totum.*

Quo ad tertium. Ut diebus Festis homines à ludis abstineant, proderunt plurimæ ex supradictis industriis, & monitiones: ac præcipuè, ut Sacramenta frequentent, divina meditentur Mysteria, & Christi Domini dolorosam Passionem; quam breve sit tempus hujus vitæ, ideoque non malè infumendum. Horrorem mortis, quam lutores patientur, & contra benè viuentes quanta lætitia de temporali vita transeant ad æternam.

D E C I S I O XV.

A R G U M E N T U M.

Referuntur penæ constitutæ contra usurpantes bona Ecclesiastica; & modi omnes, quibus dicta usurpatio fit. An liceat Parochis cadere arbores fructiferas suorum beneficiorum? & Patroni possint habere fructus beneficii vacantis? De abusu Tabacchi, quibusve mediis sit ab Ecclesiasticis proscribendus?

S U M M A R I U M.

1. Penæ statuta contra usurpantes bona Ecclesiastica.
2. Usurpatio bonorum Ecclesiasticorum quot modis fieri contingat?
3. Arbores fructiferas Ecclesia cadens quas penas incurrat?
4. Patronus beneficii non potest retinere sibi fructus, eo vacante.
5. Tabacchi abusus quomodo eliminandus ab Ecclesiasticis?
6. Tabacchi origo, & inventio.
7. Tabacchum quot modis sumatur?
8. Tabacchi qualitas, & quibus profit, aut officiat?
9. Tabacchista, qui fuerint primi?
10. Amurathes Imperator Turcarum prohibuit usum Tabacchi, & cur?
11. Tabacchum nostrum corruptum, & spurium?
12. Tabacchi sumptio an frangat jejunium?
13. Tabacchi sumptio prohibita Ecclesiasticis in Synodo Lima.
14. Casus horrendus in Sacerdote sumente Tabacchum?
15. Tabacchista seipsos, ac vestes sternutationibus conspurcant.
16. Sacerdotes nihil plebejæ habere debent.
17. Moribundus quidam sollicitior de Tabaccho, quam de anima.
18. Tabacchi nocumenta.

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD Primum. Quanam sint penæ constitutæ contra usurpantes bona, vel proventus Ecclesiarum, aut piorum locorum?

Primò. Ex Concilio Tridentino *Sess. 22. c. 11. de Reform.* inflictam esse poenam Excommunicationis lætæ sententiæ, reservatam Papæ, non relaxandam, nisi facta restitutione; & si usurpans sit Patronus Ecclesiæ, eo ipso privatus existat jure patronatus. Et sic clericus, ulterius amittat quæcunque beneficia, & sit inhabilis ad alia obtinenda, ac suspendatur ab ordinibus arbitrio Ordinarii.

Secundò. In Bulla Cenz Domini fulminari excommunicationem, Summo Pontifici reservatam contra Usurpatores prædictos (quæ est la 17.) de qua omnes DD. circa Bullam scribentes.

Tertiò. In cap. Hanc consuetudinem. 18. quæst. 1. Anathematis vinculo ligari, auferentes ab Ecclesiis oblationes iisdem factas; quæ poena pariter est lætæ sententiæ, *Turrecrem. ibid. & Barbosa alleg. 50. num. 170.*

Quartò. Esse Casum reservatum Eminentissimo Episcopo in hac Dicecesi, differre solutionem legatorum piorum ultra biennium, vel si Notarii ea non denunciant intra bimestre ex negligentia, vel ex malitia; nec non si à quocunque supprimantur, dispergantur, aut falsificentur scripturæ concernentes interesse Ecclesiarum, vel bonorum Ecclesiasticorum; ut legitur in Tabella Casuum reservatorum.

Ad Secundum. Quot modis contingat Usurpatio bonorum Ecclesiarum, aut locorum piorum? Retulerunt sex modos?

1. Cum quis prætendens habere Jus in dictis bonis palam, & violenter usurpat sibi dominium, vel quasi eorundem. *Gloss. in capit. multi. 2. quæst. 1. Suarez de Censur. disput. 21. sect. 2. n. 96.*
2. Quando clam quis usurpat sibi dicta bona, sub eodem prætextu. *Bonacin. in Bulla Cenz disput. 1. quæst. 18. punct. 1. num. 7.*

3. Cum

3. Cum Rectores Ecclesiarum appropriant sibi ipsis bona relicta suis Ecclesiis pro divinis officiis peragendis. *Bonacin. ibid. num. 6.*

4. Cum quis non usurpat sibi, sed impedit, ne beneficiarius obtineat fructus, seu proventus prædictos. *Conc. Trid. de Sess. 22. cap. 11.*

5. Quoquomodo retineantur scienter bona spectantia ad Ecclesias, & pia loca. *Bonac. d. disp. 1. quæst. 18. punct. 3.* Et hujus farinae censendi sunt debitorum, qui dolose, & scienter non solvunt livella, legata, pensiones, decimas, aut alia credita Ecclesiarum, juxta opinionem *Sayri de Censuris lib. 3. cap. 21. num. 4.* Quamvis contrarium teneant DD. apud *Theaur. de Pen. part. 2. Verb. Usurpatio cap. 1. Vers. limitans DD.* qui requirunt, ut usurpatio fiat eo prætextu, quod bona Ecclesiæ pertineant ad ipsum surripientem. Sed opinio istorum procedere potest quo ad Censuram Bullæ Cœnæ Domini, non autem quo ad Censuram contentam in Concilio Tridentino, in quo non requiritur dictus prætextus, ideòque ligantur quicumque retinentes, & quomodoque usurpantes, ut sunt fures, & debitorum non solventes. *Barbosa in Collect. DD. ad d. Concilio Trid. Sess. 22. cap. 11. num. 6.*

6. Si sequestrantur dicta bona injustè, vel Juris ordine non servato. *Bonac. ubi supra punct. 3. num. 7.*

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Parochus cædit arbores frugiferas sui beneficii, ut eas vendat. Quaritur, an incurrat in excommunicationem latam à Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 11. de Ref.

Plurimi responderunt Negativè: quia licet Parochus peccet cædens arbores frugiferas sui beneficii, adeò ut graviter sit puniendus. *Barbos. ad d. Sess. 22. cap. 11. num. 10.* tamen non ligatur Censura lata per Concilium Tridentinum ibidem; nam arbores incisæ sunt fructus beneficii, consequenter beneficio cedere videntur; Concilium verò Tridentinum loquitur de extraneis usurpantibus. *Barbos. d. num. 10. Bonac. in Bulla Cœnæ Dom. disput. 1. quæst. 18. punct. 2. n. 30. & punct. 4. num. 5.* Qui tamen tom. 1. De Alienat. bonor. Eccles. disp. 2. quæst. Unic. punct. 2. num. 7. & 8. nunt, & sentire videtur dictum Parochum affici Censura prædicta, vel saltem illa, quæ infligitur in Extravag. *Ambrosio. de Reb. Eccles. non alienandis.* Quod Curia Episcopalis habet pro indubitabili, quia arbores frugifera reputantur inter immobilia, & bona pretiosa, quæ non possunt alienari, neque cædi (nisi essent caduæ, ut sylva ex sua natura) absque Superiorum licentia, ut relatis Decretis S. Congregationis docet *Nicol. in Lucubrat. Utriusque Jur. tom. 1. lib. 2. tit. 1. §. sacra, num. 22.* Et extat in terminis Concilium Navarri, *De Reb. Eccles. non alien. conf. 7. ubi tenet, cædentem ligari excommunicatione.*

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam Patronus beneficii Ecclesiastici, eo vacante, colligit fructus, & sibi retinet illos. Quaritur, an incurrat aliquam penam?

Dixerunt omnes, incurrare in excommunicationem latæ sententiæ, summo Pontifici reservatam, & privationem Juris patronatus ipso Jure, juxta Decretum S. Trid. Concil. d. Sess. 22. cap. 11. ubi *Barbos. num. 11.* Verum tamen est, quod necessaria censetur sententia declaratoria dictæ

privationis in foro conscientie, ut notat *Theaur. de Pen. dict. part. 2. Verb. Usurpatio. cap. 1. Versic. Nota Secundo.*

AD CASUM PRUDENTIALEM

Quæ sint media adhibenda, ad eliminandum in Ecclesiasticis abusum sumptionis Tabacchi?

Plurima, quæ circa hunc casum doctè & eruditè scripta fuere, reducuntur ad tria media, seu tres rationes, quibus Ecclesiastici debent abstinere à sumptione TABACCHI. Nempè. 1. Quia non licet. 2. Quia non decet. 3. Quia non expedit.

Pro intelligentia præmittenda sunt nonnulla ex doctissimis tractatibus de TABACCO, & abusu TABACCHI *Joannis Chrysost. Magneni Professoris Medici in universitate Ticinensi; Simeonis Paulii Medici Regii Tarbusiensis; P. D. Benedicti Stella Monachi Benedictini; qui totam historiam, qualitates, & effectus explicant Tabacchi. Igitur ex his Auctoribus habetur. Primò Tabacchum esse herbam Americanam, ab Hispanis in America inventam, & hoc nomine ab eis appellatam ab Insula Tabagi, hujus herbæ feracissima.*

Magnen. Exercit. 1. §. 1. Stella cap. 1. & 2.

Secundò. Tabaccum diversimodè sumi, sed præcipuè in Fumo, in Pulvere, & in Folio per masticationem. *Magnen. Exercit. 6. 7. & 8. Stella cap. 1. §. & seqq.* Ubi advertunt, Tabaccum esse calidum in secundo gradu, & siccum in tertio, & propterea subdunt, non esse reponendum inter benigna medicamenta purgantia, quia de sui natura est nimis grave, vomitum facit, & corpus fatis conturbat; ideòque Tabaccum non esse utile biliosis, melancholicis, sicciorivè corporis habitudine hominibus. *Magnen. Exercit. 3. §. 6. & Exercit. 4. §. 1. Stella cap. 11. Simeon. Paulus d. Commentar. De abusu Tabacchi p. 8.*

Tertiò. Tabaccophilorum primos fuisse Americanos, qui coram Idolis suis se inebriabant, ut sic Pseudomistæ de rebus futuris responsa darent; At pulverati Tabacchi usum à Nautis, & militibus ex America redeuntibus originem sumpsisse, qui otiosi in navibus, ad excitanda sternutamenta, illud adhibere coeperunt, *Stella cap. 26. & 27. Magnen. Exercit. §. 1. & Exercit. 8. §. 1.*

Quartò. Amurathem 4. Imperatorem Turcarum sub poena capitali prohibuisse Tabacchi usum, sic instante *Mophri*, suorum Rituum Antistite Summo, ne gentes ebrietatem, in Alcorano vitatam incurrerent, aut infecundi homines evaderent, *Jacobum* quoque Regem 6. Britannorum Tabaccum vetasse in suo Regno, ratum, ex ejus usu, hominum corpora enervari. *Magnen. Exercit. 6. §. 10. & 11.*

Quintò. Tabaccum, quo homines Europei, ac præcipuè Itali utuntur, ut plurimum corruptum, spuriumque esse, ut potè mixtum Terra umbratili, secturis lignorum, foliis, vel radicibus arborum, rebusvè aliis exoticis, & ignotis, quibus vel falsum mercatores comminiscuntur pulverem, vel nimis adulteratum, & corruptum. *Magnen. Exercit. 14. §. 6. Stella cap. ult.*

His prænotatis: Medium primum, ut Ecclesiastici abstineant ab usu Tabacchi, est, quia Non licet. Nam, etsi controvertant DD. an sumptio Tabacchi frangat jejunium. *Pasqualigus decis. 333. 12 Summa Diana Verb. Communionis dispositio num. 42. & ipse Diana part. 5. tract. 5. resol. 12. & tract. 13. resol. 1. Quæ in coordinato sunt tom. 2. tract. 1. resol. 120. & 126.* Multique teneant opinionem

negativam; de ea tamen dubitant *Lezanin Summa quaest. Regul. tom. 3. Verb. Eucharistia quo ad regulares num. 18. Franc. Niger. in addit. ad Ruiz part. 1. Proposit. 4. num. 52. quaest. 18. illamque expressè impugnat Anton de Leone in Quaest. moral. lib. de Chocolate part. 2. §. 4. ubi mordicus sustinet, sumptionem Tabacchi, sive in foliis, sive in fumo, sive in pulvere, frangere jejunium naturale, & per consequens summi non posse ante Communionem, & celebrationem Missae; & quamvis non sit ratio aperta quo ad Tabaccinum pulverem per nares susceptum; tamen non est improbabilis; cum praecitati Auctores Medici testentur, vim nutritivam inesse Tabacco; & ulterius doceat *Magnenus Exercit. 8. §. 3. Quod pulvis Tabacchi per nares absumptus nonnumquam adharet interiori palato, & ossis ethmoidis meatus subit, ibique haeret aliquandiu, dum vel absumatur à nativo calore, vel spontè concidat, sive in Ventriculo cum delabente pituita, sive in alias partibus. In hac re habemus rationem, & auctoritatem assermantem, jejunium naturale frangi posse per Tabacchi pulverem, naribus assumptum, & licet alii ab hac opinione discedant, non est parvipendenda; cum agatur de præcepto Ecclesiae, & de reverentia S. Eucharistiae; maxime quia circa Sacramenta amplectenda est opinio, quæ magis faveat eorum validitati, ideò & fructui: sicque DD. Parochi, & Confessarii concluderunt, debere Ecclesiasticos à sumptione Tabacchi abstinere, Quia non licet.**

¹³ Efficacius autem id suadetur considerata de liberatione Patrum in Concilio 3. Provinciali Limæ Peruanæ; in quo teste *Stella d. tract. cap. 33. pag. 345. Sic statutum fuit Act. 3. cap. 20. Prohibetur sub reatu mortis aeterna Presbyteris celebrantibus, ne Tabacchi fumum, seu Tabacchi pulverem naribus, etiam præterit Medicina, ante Missa Sacrificium sumant. Et licet hoc Concilium non obliget extra Provinciam, tamen dat normam, & rationem agendi in simili materia extra Provinciam. Cuch. Inst. major. lib. 2. tit. 3. num. 64. Et ulterius extat Bulla S. D. Urbani Papæ VIII. 30. Januarii 1642. prohibentis sub excommunicatione latæ sententiæ sumptionem Tabacchi in Ecclesiis, earumque atriis, & ambitu Hispanen. Diocesis, quam poni *Stella dist. cap. 33. pag. 349. nec non Constitutio Innocentii Papæ Decimi de anno 1650. circa Urbem, & Ecclesias Romæ; ex quibus motivum forte, & ab Ecclesiasticis nequaquam spernendum resultat, iisdem sumptionem Tabacchi Non licere.**

¹⁴ His addendus est horrendus utique Casus, quem ob abusum Tabacchi in Sacerdote evenisse refert idem *Stella cap. 33. pag. 347. his Verbis: Quidam Sacerdos de capite Sileris, ex Provincia Principatus Regni Neapolis, cum non multo post ab assumptione Sacratissima Eucharistia Tabaccum sumeret, ante Missa finem, consecratam Hostiam, non sine spectantium lacrymis, abominabili vomitu, cum sternutatione eiecit. En igitur An liceat?*

¹⁵ Secundo. Quia non decet, debent Ecclesiastici à Tabacchi sumptione desistere. Nam, Si Angelus de cælo Sanctum Franciscum edocuit, ostensa candidissimæ aquæ ampulla, Sacerdotes ea puriores, & nitidiores esse oportere; quis non oderit abusum Tabacchi, ex quo morosis sternutationibus Tabaccophilis seipso conspurant, eo religiosas Vestes, sudariola, ipsamque Sacram suppellectilem coinquinant;

cum indecentia characteris Sacerdotalis; & Ministerii; nec non cum scandalo populo- rum? Si S. Ambrosius scriptum reliquit *Epist. 5. ad Fran. lib. de Dignit. Sacerdot. Vides nihil in Sacerdotibus plebejorum requiri, nihil populare, nihil commune. Quomodo non erubescant Ecclesiastici vitium Tabacchi sectantes, cujus usus initium, & exercitium habet à remigantibus, & villisimis Navium, & Triremium turbis, ut in tertio præmissis notavimus? Decebit forsitan Sacerdotes Dei, foedis excrementis conspurcari, & in sumptione Tabacchi insistere, cujus usus sub poena capitali Turcis est interdictus, quasi major zelus Alcorani vigeat in Turco Antistite, quam Pietas, & obsequium in Ministris Ecclesiæ Catholicæ. Quam decet Sanctitudo? Reges gentium, ne corpora enerventur, vetant usum Tabacchi, & Ecclesiastici non abstinebunt, ne munditia, & puritas corporis, & animæ maculetur? Quomodo tetro odore infecti, Confessiones audire, Sacram porrigere Synaxim, aliaque cœlestia Sacramenta populis administrare non verentur? Certum est itaque Non decere.*

Nec tacendum, quod sibi accidisse testatur ¹⁷ doctissimus, ac probitate conspicuus hujus Diocesis Vicarius Foraneus; nempe cum cuidam agonizanti, qui usum linguæ perdidit, extremam Unctionem daret, parum de vicino animæ exitu, sed valde de Tabacco sollicitus, vidit illum manu, & digitis, signisque ad nares, Tabaccum poscere. Curent igitur Ecclesiastici abusum hunc deponere; quos dedecet omnino, ut ex supradictis liquet.

Tertiò tandem. Quia non expedit, ab eo debent abstinere. Legant præcitatos Auctores, & reperient, maxima esse se sanitatis detrimenta, quæ ex Tabacchi abusu promanant, & referuntur à *Stella cap. 29. & 30. Hic enim, ut brevitati consulatur, transcribentur tantum nonnulla Medicorum prælaudatorum testimonia. Simon Paulus pag. 8. terg. litt. D. sic scribit: Quorū quisque ergo est, nisi ipse sit Archibaccarius, atque adeo animo occupato, qui non intelligat, quod meatibus, aut foraminibus ossis ethmoidis à pulvere Tabacchi obrutis, cum cerebrum per os ethmoidis, neque aerem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium species, admittere possit, quin necessariò offensus intercidat? Et paulò post: Cum ergo ad nasi radices usque pulvis Tabacchi Narcoticus magna copia violenter attrahatur, & punctum temporis Natura otiosa non sit, ac in vivo corpore ex decretis Hippocratis nostri omnia sint permeabilia, ac transpirabilia utique aliter fieri non potest, ut immui, quin partes ossiferae destinata, à narcotica Tabacchi facultate misere affligantur.*

Sed audiant, qui à Tabacco detrectant desistere, quæ incommoda recenset *Magnenus. Exercit. 8. §. 4. cujus hæc sunt Verba.*

Primum incommodum est, odoratus abolitio, membranarumque, nervique odoratorii exsiccatio, processum mammillarum tabes, ut probavimus §. 15. Exercit. 6.

Secundo. Inducta cerebro intemperies, qua memoriam labefactat.

Tertiò. Operantur in Medicina isti, quando quiescere licet; quod furoris genus appellat Celsus.

Quarto. Attrahunt à ventriculo ad cerebrum humores pravaos; immoderatæque cerebri exsiccatione aliqui vix sibi satis constant.

Quinto.

7. Quind. Senium, mortemque accelerant, adventicia siccitate, humido radicali infesta.

Sexto. Febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis, & phrenitidi.

Septimo. Vidi non neminem, cui insanus huius PULVERIS usus chrystallinum corrugaverat humorem, unde & silitantia cernebat objecta.

Octavo. Durior auditus sit iis, qui parvum caput fortiri sunt, timitusque aurium cuiuspiam contigit, effranto huius PULVERIS usu. Huc usque Magnen.

Videant igitur Ecclesiastici, & secum mente revolvant, ac firmissimè decernant emendari ab hoc vitioso Tabacchi usu; quia Nec licet, nec decet, nec expedit perseverare in ipso.

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

Disputatur, An liceat locare bona Ecclesiæ ultra triennium? Vel ea in emphyteusim dare? Quæ requirantur pro iis ad livellum dandis? Quæ bona Ecclesiæ possint alienari sine licentia? Quid relevet clausulæ, salvo beneplacito Sedis Apostolicæ? Confraternitates laicorum an possint earum bona alienare? De methodo suadendi populo solutionem integram Decimarum.

SUMMARIUM.

1. Locare ultra triennium bona Ecclesiæ an liceat?
2. Emphyteusis de bonis Ecclesiæ fieri non potest.
3. Livellare bona Ecclesiæ quomodo liceat?
4. Bona Modici valoris qua dicantur.
5. Bona Ecclesiastica alienabilia sine licentia Papæ qua sint?
6. Pecunia Ecclesiæ an possit alienari sine licentia?
7. Clausula Salvo beneplacito Papæ quid operetur in alienationibus bonorum Ecclesiæ?
8. Clausula Nec aliter, nec alio modo, quid relevet?
9. Confraternitates laicorum an possint alienare bona sua?
10. Decima, ut fideliter solvantur, qua methodo sint populi suadendi?
11. Decimarum fidelis solutio habet à Deo quatuor remunerationes.
12. S. Bellini Martyris Episcopi Patavini intersector, quomodo à Deo punitus?
13. Decima in nova lege, cur solvantur Ecclesiasticis, qui possident agros, & vineas Ecclesiarum?
14. Levita Aaronici possidebant Civitates 48 cum agris, & pradiis suburbanis earumdem.

Ad infra scripta Quæstra, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

1. AD Primum. An liceat locare bona Ecclesiæ ultra Triennium? Distinxerunt. Vel bona sunt talia, ut quotannis colantur, & ex eis fructus quolibet anno percipiantur, & tunc locari non possunt ultra triennium, attenta prohibitione Juris Canonici sunt Anathematis poena in Extravag. Ambitiosa. De reb. Eccles. non alien. At si bona Ecclesiæ talis sint conditionis, ut ex eis quolibet triennio unicus tantum fructus colligatur, poterunt in novem annos locari, quia primum triennium æquivaleret primo anno; & sic secundum, & tertium; & si alternatim fructificent, poterunt per sex annos locari. Ita Covar. lib. 2. Var. cap. 16. num. 6. Barbof. alleg. 95. num. 4. Et Antonell. De Regimine Eccles. lib. 1. c. 5. num. 6.

Ad Secundum. An liceat, ea dare in Emphyteusim? Omnes Negative responderunt, cum id expressè vetet Summus Pontifex in d. Extravag. Ambitiosa, ea ratione, quia dare in Emphyteusim est alienare. Novar. in Summa Bullar. par. 1. Commentar. 129. n. 3.

Ad Tertium. Quæ requirantur pro dandis bonis Ecclesiæ ad livellum? Dixerunt, Duo requiri. Utilitatem Ecclesiæ, & Solemnitatem. Illa consistit in hoc, quod Ecclesiæ conditio fiat melior, & locupletior, idè si tantum recipiat, quantum dimittit, non dicitur Utilitas. Rota decis. 430. num. 6. par. 2. recent. Novar. d. commentar. 129. à num. 6. & segg. Quanta autem debeat esse utilitas, standum est arbitrio Judicis. Rota decis. 674. part. 1. divers. Solemnitas verò est, ut in Ecclesiis Collegiatis, & Regularibus præcedat tractatus, deinde consensus majoris partis Capituli; ac demum Summi Pontificis licentia, quæ in aliis omnibus alienationibus bonorum Ecclesiasticorum semper requiritur, nisi res alienanda sit modici valoris, vel difficilimæ recuperationis, quia tunc sufficit Auctoritas Episcopi. Rota pag. 2. recent. decis. 631. Novar. dict. Comment. 129. numer. 33. Bona autem dicuntur modici valoris, quando eorum valor non excedit summam Viginti quinque aureorum; quæ faciunt Ducatos sexaginta Monetæ Veneræ. Gavant. in Manual. Episc. Verb. Alienatio num. 24. Et si verius sit quod in hoc statut arbitrio Episcopi. Barbof. cap. Terrulas. 12. quæst. 2. Antonell. de Regimin. Eccles. dict. lib. 1. cap. 8. numer. 6. ubi notat, esse attendendam consuetudinem locorum, quantitatem rei, & conditionem Ecclesiæ.

Ad Quartum. An sint aliqua bona Ecclesiastica, qua possint alienari sine licentia Papæ, vel Episcopi? Responderunt esse sequentia. 1. Mobilia non pretiosa, ut fructus agrorum, vel animalium, secus autem si sint pretiosa, ut Vasa argentea, Vestes magni pretii, quæ diutius servari possunt, Gregeſ Ovium, Armentum boum, Præsepium equorum, & arbores fructiferæ. Antonell. d. lib. 1. cap. 4. n. 3. 2. Bona necessariò alienanda, puta si sint relicta cum onere fidei commissi, post certum tempus ab Ecclesiâ instituendi. Barbof. allegat. 95. numer. 61. At si absolutè bona fuissent donata Ecclesiæ, vel legata cum expressa conditione, ut Ecclesiâ possit illa ad libitum alienare, hæc conditio rejicitur tanquam illicita. Barbof. de allegat. 95. numer. 70. Dummodo Ecclesiâ sit capax ea retinendi. Antonell. d. lib. 1. cap. 4. numer. 5. & 6. 3. Bona, quæ sunt solita dari in Emphyteusim, videlicet si præcesserunt duæ concessionis sine solemnitate, effectum fortitè, simul cum cursu 40. annorum. Quarant in Verb. alienatio numer. 42. Dummodo iterum non fuerint incorporata Ecclesiæ, Antonell. dict. lib. 1. cap. 6. num. 16. 4. Bona, quæ servando servari non possunt, ut sunt fructus, vestes attritæ, animalia supervacua, arbores opacæ, vetustæ, corruptæ, vel infructiferæ, quas beneficiarius potest incidere, præsertim si ex earum incisione fundus reddatur fructuosior. Rodom. de reb. Eccles. non alien. quæst. 7. c. 7. Bonac. eod. tract. disput. 2. quæst. Unic. punct. 2. num. 8. An autem pecunia Ecclesiæ alienari, & distrahi possit sine licentia Papæ, aut Episcopi? sunt hinc inde opiniones apud Antonell. d. lib. 1. cap.